

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1746)
Heft: 4

Artikel: Vitae viri admodum reverendi ac celeberrimi Michaelis Szathmari [...]
Autor: [s.n.]
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394594>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 06.04.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

Vitæ

VIRI admodum Reverendi ac Celeberrimi

* MICHAELIS SZATHMARI

Senioris, S. Theol. & Ling. Hebrææ
Professoris Clarissimi, Illustris Athenæi
Patacensis, Rectoris Prudentissimi ac
Gravissimi Descriptio.

Admodum Reverendus ac Celeberrimus *Michael Szathmari* Senior, Patre ortus est Viro admodum Reverendo *Stephano Szathmari*, qui ob insignem, qua pollebat, eloquentiam, Cicero Hungaricus ab æqualibus dici meruit, Verbi Divini Ministro, dum viveret, Kásoniensi, & Matre generosa *Anna Bekéfi*, A. 1681. admodum puer patre orbatus, ubi paululum adolevisset, causa Studiorum, Albenſe, in Transſylvania, viſitavit Collegium. Unde litterarum trivialium notitia imbutus, redux, Talbyæ Togatorum Studioſorum numero accenſitus eſt. Hinc Iaurinenses, ad informandos ſuos pueros evocatum, munere Præceptoris condecorarunt: Quo deſunctus Caſſoviam ad perficiendum ſe in ſublimeribus Scientiis contulit. Muſarum ſedibus Patacum Caſſa translatis, comitem noſter iisdem ſe junxit, quumque æqualium induſtriam æmularetur,

T t 4

retur,

* Hanc Vitæ Enarrationem, quanquam ab Inſtituto noſtro aliena videri poſſet, hic adjungere pace Lectorum nobis liceat, qui magnopere rogantibus hoc pietatis officium detrectare non potuimus. J. B.

retur, quin plerorumque longe excelleret, Tokaium, A. 1708. ad Scholam Oppidi regendam arcessitus, commigravit. Evenit, ut dum operam suam Scholæ ejusdem Curatoribus mirifice probaret, omnes in id incumberent, ut subsidiis collatis Nostrum in Academias Illustres Germaniæ Inferioris quasi expellerent. Qui etiam A. 1709 *Franequeram* concessit, ibique *Vitringæ Patris, Rhenferdii, Andalæ, Bosii, &c.* Summorum Virorum ductibus se erudiendum tradidit. Inde *Traiectum* ad Rhenum profectus, *Rœlio* & aliis Viris Doctissimis auscultavit. Ex Academiis A. 1711. ad V. D. Ministerium Tokaium revocatus, summa cum laude pene lustrum in opere Domini desudavit.

Serpebat longe Viri fama: Hinc ad Professoratum Philosophiæ, Albam Iuliam, A. 1716. Mense Febr. deductus est. Ubi rerum humanarum vicissitudines experiri coactus, vix tribus septimanis exactis, ad VII. Calend. April. ipso die Emmanuelli sacro, quod Vir pius in sui Consolationem trahebat, una cum Cœtu Scholastico solum vertere, in pagum vilissimum Carco concedere compellebatur.

Eodem Anno Agropolim ad Marusium studiofa Juventute Albenſi translata, ipse quoque ibidem fortunæ sedes fixit. Ibi quum omnium adplausu, primum Philosophiam, post, A. 1718. erepto peste Collega, Viro, dum viveret, Celeberrimo, *Andrea Zilabi*, Theologiam tradidit, tantumque sibi apud Illustrissimos Daciæ Heroes Nomen & meritum paravit, ut venerando per Principatum eundem Presbyterio Helveticæ Confessionis demum Anno 1728 ab Actis præficetur,

tur, Generalis Notarius cum jure indubitato in Episcopatu ejusdem Provinciæ succedendi renunciaretur. At tanto Patriæ flagrabat amore, ut nec tanti honores, nec tot Procerum favores, nec tanta Nomina, tantæque dignitates continere Nostrum valerent, quo labescenti Patacensi Collegio opem ferre recusaret; sed spectabb. Patronorum votis expetitus, Anno 1734. Mense Septembri Patacum advolaret, Collegiumque turbis intestinis pene oppressum, summa prudentia regendum suscipere nullus dubitaret. Quod etiam fatentibus omnibus ingenuis felicissime perfecit, turbas composuit, Juventutem, rixas contentionesque detestari, tam piis suis monitis, quam singulari sua mansuetudine exemplum præferens, expugnavit; hunc fere præcipuum mutatæ Sedis fructum se reportasse gloriatus. Onere Laborum pressus, tandem anno sesquidecimo Rectoratus, Anno 1744. IV. Nonas Junii, inter horam octavam & nonam ante meridiem piissimam animam exhaustit.

Reliquit vero Nominis haud degeneres heredes & vindices, vitæ conjugalis certissima pignora. Nam Anno 1712. Mense Febr. associaverat sibi Nobilissimam atque Castissimam Virginem, *Juditham Ember*, Clarissimi olim *Paulli Ember & Margaretæ Martonfalii* natam. Cujus suavissimum Contubernium, non uno utriusque Sexus fœtu, beatum felixque redditum est, Miseratione Divina. Quos inter *Michael* natus Anno 1715. nunc quidem VIR Clarissimus, & *Stephanus*, Studiorum causa in Belgio extorris, at ab A. Superioris 1745 Mense Septembri, in Oppido

Atzalonienſi V. D. Miniſter diſertiffimus mœſti
tumbæ adſident paternæ.

Quod Noſtri virtutes & vitæ rationem adtinet:
corpore erat nec ſatis obefo, nec macie confecto;
ſed mediocris compagis, quali etiam gaudebat
ſtatura, conſtanti & valida non uſque adeo pol-
lebat ſanitate, in virili ætate ictero perſæpe ve-
xatus, in ſenectute podagræ diriffimos perſenſit
dolores, materiaque peccante invaleſcente, in-
ſultus apoplecticos ab Anni 1742 autumno per-
peti cæpit. Quorum poſtremus pridie quam
moreretur, ipſis Calendis Junii, finem vitæ acce-
leravit, ſub veſperam diei collapsum in Officio
Divino, loquela, omnique vegeto ſenſu priva-
vit.

Vir fuit ſingularis proſus exempli, tempe-
rantia, modeſtia, pietate, humilitate Animi & fa-
cem cunctis prælucens, certe ubique & in omni-
bus noſtra laude major. Videturque humanitus
longius ipſi vitam prorogari potuiſſe, ſi non tam
ſtudioſus virtutis, ac erat, fuiſſet: ſi non omnem
occaſionem ſtrenue, ne quos offenderet, vitare
voluiffet, atque eo fini domiſedum ſe totum fin-
xiſſet: Qui nequidem animum relaxandi cauſſa,
ſedibus ſuis unquam exciri poſſet. Hoc in eo ma-
xime vero peculiare fuit, quod adfectibus ſuis,
ad miraculum uſque, imperare poſſet, fortior
illis, qui fortiffima expugnant mœnia, nunquam
per animi paſſiones ad indecorum aliquod com-
mittendum ſe abripi paſſus. Patientiffimus in-
juriarum, contumeliarum, pacis erat ſtudioſiffi-
mus. Muneris autem ſui partes diligenter adeo
obibat, ut nonmodo otioſus non fuerit, ſed
nec

nec fractæ Vires , nec Laborum gravissimorum , annis pene XXX in Professoratu exantlatorum tædium , nedum Patronorum , amicorumque consilia vacationem & perenne otium , ipsa ætate provec̄ta facillime excusante , illi persuadere possent.

Alienus erat ab omni jactatione , & eruditio- nis ostentatione , a qua tamen insigniter erat pa- ratus , quod testantur , de ejus disciplina , maxi- mo numero , exorti Viri , non postremi No- minis quamplurimi. Testantur subcesivis horis composita & in lucem emissa opera : *Compen- dium Philosophiæ Naturalis : Tyrocinium Propheticum in Cap. XXXVIII. Jobi illustrandum concinnatum, Franequeræ editum : Arboris Scientiæ boni & mali in Vite ferali investigatio : Fax accensa de vero sensu Verbo- rum Institutionis Cœnæ Dominicæ* , lingua vernacula composita. Testantur gemina ejus munera , quæ una fidelia juvenili adhuc ætate Tokaii in Schola & Ecclesia obivit. Testaturam confidi- mus , *Collectionem Sermonum Sacrorum* a se com- positorum , quorum editioni nunc quidem im- mortuus est. Accedebat his dotibus tenacissima memoria , quam nos in Viro maximo , nun- quam non admirabamur , quæ eum stylo pro- phetico & loqui & scribere promptum reddebat ; Psalmos & Hymnos in Ecclesia decantari solitos eidem suggerebat.

Ne quid de Poëtarum Illustrium Carminibus , Veterrimorum Amicorum , perque plures annos non visorum cognitis Vultibus dicam. Quis en- comio , quis denique desiderio sit finis tam cari Capitis !

NOVA